R Am. 16. Aug. 44 17

Prodit ergo tandem Zelandia nostra, et se tibi sistere audet, Vir nobilissime; vetus simul ac nova, sedes illius gentis, quae progenies Neptuni pariter ac Martis gessit plurima et tulit, quae, magnam partem obscuriora hactenus aut ignorata, tibi credo tam mirabilia legenti fore, quam mihi scribenti fuere. Occurrent et quaedam, quae more potius inter nostros recepto, quam recto iudicio probantur, populo potius data et scripta, quam tibi, aut iis, quorum oculis non nisi magnifica omnia subiiciuntur. Paucorum adhuc, sed id benignum satis, iudicium intellexi de hoc opere, quod omnibus scripsi; ac ideirco, tanquam sit eadem omnium futura sententia, isto paucorum iudicio, volui omnium lectorum. Auctores vero mihi fuere praecipuae hic dignationis viri, ut ad Historiographi huius populi titulum contendere auderem: et iam certus sum fore, ut de hoc desiderio nostro, quod amoris plurimum in hanc gentem ac fidei, nihil autem arrogantiae aut avaritiae habet, proximis Ordinum Comitijs agatur. Assumo te in praesidium spei meae, Heros maxime, ac supplex rogo quaesoque, ut illustri Nuntio, quem plurimum hic posse non ignoras, qualicunque ista studia nostra commendare non dedigneris. Interest salutis Zelandorum, ut maiores eorum tandem aliquando veris laudibus et perpetuo opere celebrentur, et posteri sub eorum illustri exemplo praemoneantur, quâ potissimum viâ possint ad eandem gloriam eniti. Porro, officium pietatis, quod socero meo, Duvelario, huius urbis Exconsuli, seni optimo et integerrimo, debeo, nunc etiam iniungit mihi, ut repetitâ anniversariâ, quam nosti, prece eum tibi commendem. Quod ut potenti negare nefas erat, ita tu mihi facile ignosces, qui eius gratia, cui obsequentissimum me addixi, tibi, cui nimium iam debeo, gravis esse cogor. Statueram ad castra ipse excurrere, et dextram tuam supplici osculo contingere, sed trepida Venus nostra intervenit, quod crebro accidit; Bella gerant alij. Deus te Patriae, Principi, ac nobis quam diutissime servet, Vir illustris. Middelburgi Zelandorum, CIƆIƆCXLIV, Aug. XV.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3692

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3692

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3692

Mijn heer,

d'heer van Zuylichem, Ridder,
Raadt ende secretaris van
sijn Hoocheit, den Prins van
Oranien etc.

port.

In het Leger voor
het sas van Gendt.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 17
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3692